



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. XXXV. De Congregatione pro ubertate Grasciæ Urbis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

Annonam & Grasciam sunt revocatæ
& annullatæ *Urbanus VIII. Constit. 30.*

Superi.

7. In hoc Officio decem habet Mini-
stros, qui illi sunt adjumento, & à ser-
vicio, nimirum: Commissarium Gene-
ralem, Commissarium Substitutum,
Computatorem, Custodem frumento-
rum, Custodem clavium pro granariis,
aliumque tertium Custodem, duos qui
præsunt Mensoribus, Exactorem unum,
& unum, qui colligit schedulas, in qui-
bus annotata est ad portam Annona in
Urbem invec̃ta. Habet præterea in di-
versis locis Commissarios pro comparan-
dis frumentis aliisque negotiis expedien-
dis. Proprium quoque habet Tribunal
cum Notario, & Apparitoribus, eo-
rumque Capitaneo, & in causis Anno-
nam concernentibus Judex est Ordina-
rius. *Greg. XIII. l. 6. Lunadoro.*

CAPUT XXXV.

De Congregatione pro Uber-
tate Grasciæ Urbis.

Instituit hanc, Congregationem Paulus V.

Bbb 2

2. Qui

2. Qui illi intersint.
3. Deliberatur in ea, quomodo ars agriculturæ promoveri possit.
4. Congregatio hæc quando habeatur. Nunc non nisi tempore Annonæ caritatis.
5. Officium Præsidis Grasciæ, ejusque jurisdic-tio.
6. Cum Annonæ est caritas, statuit quid faciendum.

R.

PRæter Congregationem institutam à Sixto V. pro ubertate Annonæ, crexit Paulus V. Const. 70. Pastoralis aliam ex Prælati & viris egregiis ad Ubertatē Annonæ & Grasciæ in Sedis Apostolicæ temporali ditione, & in Urbe potissimum curandam.

2. Interfunt quoque huic Congregationi Thesaurarius Generalis, Annonæ Præfectus, Præses Grasciæ, Commissarius Generalis Camerae Apostolicæ, & unus aliquis è Familiaribus Pontificis ab eodem deputandus.

3. In qua quoque Congregatione deliberandum constituit Paulus V. ibidem, qua ratione res Agriculturæ in agro Romano locisque finitimis conservari & promo-

promoveri possit, ideoque elargitur Pontifex in dicta Constitutione artem Agriculturæ exercentibus privilegia, & ante concessa confirmat, ac Ordinationes pro feliciori ejusdem artis propagatione præscribit.

4. Congregatio hæc quinto decimo quoque die cogenda est, cui supranominati interesse debent, & quod ab eis seu majori parte matura consultatione præhabita fuit conclusum, referendum est ad Pontificem, ut is quid pro publica utilitate statuendum sit, providere possit. *Paulus V. cit. Const. 70.* Verum hoc tempore rarissime & vix, nisi cum ingravescit Annona, Congregatio hæc haberi solet, totaque cura & directio committitur Præfecto seu Præsidi.

5. Eligitur hic sorte à Clericis Cameræ. Officium ipsius est, ut, sicuti Præfectus Annonæ rem frumentariam providet, ita ut cætera victualia, qualia sunt tam cicures, quadrupedes, volucres, pisces, fructus & olera, omniaque, quæ ad humanum victum pertinent, curentur, ipsi incumbit. Ideo iustrat singulis Septimanis, cum mercatus habetur, forum Boarium, olitorium, piscarium, aliaque loca ubi carnes & victualia

Etualia venduntur. Jurisdictionem habet in Laniones, Macellarios, piscium venalitos, Saffamentarios, aliosque victualium Mercatores.

6. Si pro diversitate temporum diversum quoque pretium carniū aliorumque victualium constituendum sit, atque etiam sub Annonæ caritatem faciendæ sint provisiones, accedit Camerarium, apud quem instituta consultatione statuitur quid fieri debeat. *De Luca Rel. Rom. Cur. disc. II.*

CAPUT XXXVI.

De Congregatione pro Viis, Pontibus, & Aquis curandis.

1. *Cur. hæc Congregatio instituta sit à Sixto V.*
2. & 3. *Facultates & Officium illius.*
4. *Controversiæ ubi & quomodo decidantur.*
5. *Prefectus quis sit, & ubi habeatur Congregatio.*
6. *Aliam Congregationem instituit Paulus V.*
7. *Qui isti intersint, & Secretarii Officium.*
8. *Quando habeatur Congregatio, & à quo mandata illius expediantur.*

1. Sixtus